Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 933
Quelle:
Copyright:

ris &c. *Bonaventurae* T. cit. p. 613. sub titulo: *De Institutione Novitiorum Pars Prima. Capp.* XLI. e quibus C. XV. item finis C. XL. et totum XLI. in *Cod.* nostro desideratur.

XIV. *fol.* 196. p. 2. *Incipit Profectus religiosorum.* Initium: *Collaciones meas quas exhortacione ad nouicios nostros* &c. Iterum *Bonaventurae T. cit.* p. 557. ubi inscribitur: *Liber primus de profectu Religiosorum.* Exemplar nostrum hinc inde plenius est.

XV. *fol.* 213. p. 2. *Incipit pro instructione morum et conuersatione perficienda tractatus qui intitulatur candidarius.* Initium Indicis: *Primus processus est in feruore nouiciatus* &c. Opusculi ipsius: *Profectus religiosi septem processibus distinguitur* &c. Rursus *Bonaventurae*, cujus T. *cit.* p. 574. extat inscriptus: *Liber secundus de Profectu Religiosorum.*

XVI. *fol.* 255. *Incipit Speculum* (pro hac voce inducta positum *Tractatus de professione*) *Monachorum. qui statum et professionem monachorum declarat euidenter prout patet intuenti.* Praecedit *Index* hoc initio: *Tractatus iste, qui est de professione monachorum. tres habet partes* &c. Opusculum vero ipsum sic infit: *Cum displiceat deo infidelis et stulta professio* &c. Et definit: *qui autem requirunt dominum. animaduertunt omnia. Explicit tractatus sepe tractandus.* Impressus habetur T. I. *Thes. Anecd. Bern. Pezii* P. 2. *col.* 565. hoc titulo: *Johannis* forte *Gersenis Abbatis Liber aureus de Professione Monachorum Ord. S. Benedicti, erutus ex Bibl. Mellicensis Codd. Mss.* Quatuor in hoc Coenobio suo, cujus Ornamentum fuit, invenit Codices *Pezius*, ut narrat in *Dissert. Isag.* p. 80. Tres nomen *Johannis* a prima manu praeferunt, et horum quidem unus cum addito *de Villa.* Quartus nomine *Fratris Wilhelmi Ordinis Predicatorum, qui etiam composuit summas virtutum et vitiorum*, insignitus erat, sed seculi XV. manus *Johannem Abbatem* reposuerat. Meminit praeterea Codicis *Benedictoburani* pariter *Wilhelmo* faventis. *Wilbelmus* is est *Peraldus* Gallus Sec. XIII. Scriptor, cui, *Quetifo* teste T. I. *Scriptt. O. Praed.* p. 134. non tantum multo plura Mspta Libellum nostrum tribuunt, sed ipsa etiam Editio *Parisiis apud Joh. Parvum* 1512. 12. quae in *Catal. Bibl. Reg. Paris.* sub *n.* 7019. adnotatur. Ut adeo is, qui hic pro *Johanne Gersene* pugnare vellet, vix certiorem sibi victoriam polliceri possit, ac illi, qui *Libros de Imitatione Christi* eidem adsertum ivere.

XVII. *fol.* 270. p. 2. *Collatio quedam facta per baccalarium in decretis ad professos.* Incipit: *Mutabo habitum et ad pugnandum vadam. II. Paralyp. 18. C. Venerandi domini mei et fratres in christo mihi perdilectissimi. Prelibati thematis verba mihi deseruire possunt* &c. Agitur de Castimonia, animi demissione et Paupertate Religiosorum, finiturque: *et sic omnibus*